DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE TYPHO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

Thomas Cunliffe,

ANGLUS,

SOCIETATIS REGIAE MEDICAE EDINBURGENAE SOCIUS ORDINARIUS.

Felix qui potuit rerum cognoscere causas. VIRG.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO, APUD D. SCHAW ET FILIUM.

MDCCCXIV.

JOSEPHO & GULIELMO HORNBY,

ARMIGERIS DE KIRKHAM,

COMITATU LANCASTRIENSI,

OB BENEFICIA OLIM ACCEPTA,

HOC TENTAMEN MEDICUM,

GRATO OBSERVANTEQUE ANIMO,

CONSECRAT

AUCTOR.

NECNON

EDVARDO PEDDER,

ARMIGERO DE PRESTON,

COMITATU LANCASTRIENSI,

HOC OPUSCULUM,

LEVE QUIDEM SED SINCERUM TESTIMONIUM,

GRATI ANIMI,

PRO EJUS BENEVOLENTIA,

DEDICAT

AUCTOR.

11

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

TYPHO.

AUCTORE THOMA CUNLIFFE, ANGLO.

DEFINITIO.

MORBUS contagiosus, calor parùm auctus, pulsus parvus, debilis, plerumque frequens, urina parum mutata, sensorii functiones plurimum turbatae, vires praesertim imminutae.

PRAEFATIO.

MORBUS propositus, ex aspectu vario quem induit prout vehementia, conditio aeris, locus

arctus et frequentissimus plùs minùs polleat, semper nisi nuperrimè a medicis ut morbi diversi et sui generis tractatus est. Horum unicuique nomen dederunt e symptomate morbi potentissimo, aut e loci situ illum inducente detractum: e. g. febris putridae, petechialis, maculatae, carcerariae, valetudinarii, etc. Omnes tamen utcunque diversi nominis, ex eodem contagio speciali originem ducere videntur, ipsissimus morbus quidem, sed aspectus varians ut variant temperamentum aeris, coelum, tempestas anni quo accedunt; varians quoque cum habitu corporis affecti, ut cum quadam humorum proclivitate in putredinem. Haec proclivitas probatur re bene notâ omnibus peritis et sedulis medicis, non solùm hoc proprio contagio, sed omnibus aliis contagiis specialibus, ut variolà, morbillis, et saepius cynanche scarlatina; nimirum idem contagium, eadem domo, eodem tempore alii aegro morbum formâ saevissimâ, alii formâ mitissimâ inducere, et vice versâ. Petechiae, quibus morbus nomen petechialis vel febris maculatae adeptus est, nequaquam proprium symp-

toma huic morbo existunt, sed haud raro variolo confluenti, gravioribus exemplis rubeolae, scarlatinaeque se comites praebent. His in morbis nutrices, experientiâ duce, petechias per cutem erumpentes pessimo omine accipiunt. Aspectus petechiarum omnibus ferè in morbis, eaedem causae, proclivititati scilicet humorum in putredinem deberi videtur. Malignitas quoque, olim comitata nomen *febris carcerariae* vel *valetudinariae* huic non propria est, sed etiam omni contagioni speciali, quando quovis modo plurimi aegrotantes in locis humidis, immundis, aut malè ventilatis sunt conferti, ut tunc mos erat, imprimis carceribus, cujus luctabile exemplum in curiâ judiciali *Old Bailey* Anglicè nominatâ anno 1750 accidisse memoriae traditur. His praemissis pro concessis habitis, transeundum est causis praedisponentibus, modisque arcendi vim causarum excitantium, delendo nimirum eam vel minuendo, et corpus minus aptum reddendi ejus impetui suscipiendo.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Typhus omnes aetates et sexûs invasit; adolescentes admodum et utriusque sexûs grandaevi non adeo proclives vim contagionis excipere, ac aetas media videntur. Exempla extiterunt infantium ex ubere moribundae et post paucas horas mortuae matris sugentium, nulla injuria accepta. Quod ad grandaevos pertinet, causa facilius indicari potest, e torpore generis nervosi illos minus obnoxios cuicunque impressioni reddituro. Aetate autem media, homo fit plus minusve idoneus ad quamcunque impressionem suscipiendam prout certae conditiones animi et corporis adsint vel absint. Pendet quoque haec promptitudo a habitu, corpore aliis morbis debilitato, aliisve causis deprimentibus, ut tenui diaeta, animo dejecto et moesto praesertim ex timore morbi excipiendi. Talis timor effectum valdè sinistrum praebere videtur, sive in corpus minus validum contra noxam, reddendo, sive jam implicito convalescentiam impediendo; cor-

pore scilicet vi sedante timoris suprà modum infirmato, ut Historiâ Pestis Londini probari videtur.

Qui sunt habitu corporis debili et laxo, vel qui morbo antecedente aliave causa infirmante valetudinem minutam habuerunt, impressioni contagionis multo procliviores redduntur. Adeoque totae regiones postquam abhoste spoliatae et vastatae essent, deinceps contagione et morbo plectebantur, unde ut causa effectum, hi tres dirissimi humani generis hostes se invicem consequi videntur, bellum nimirum, fames, et pestilentia. E contrà quicquid firmat et roborat corpus, et spem aut contemptum periculi a contagio injiciat animo, curantes aegros, et omnes ex necesse contagio oblatos, ei minus habiles reddit. Hoc consilio ad quosdam idoneos aut speciosos modos vim contagii avertendi aut cohibendi confugiendum est, quorum varii scriptoribus perhibentur. Saccus camphorae in gremio, odor quorundam medicaminum valentiorum, ut oleorum volatilium adhibitus prius ineatur aegri cubiculum, nares flore anthemidis no-

bilis impletae, potio pauxilli vini, aut alcoholis cum aqua, (vel alius cujusvis rei convenientis quoque proderit,) fumi nicotianae tabaci iis in efferendis cadaveribus occupatis, ut in peste Londinensi; omnia maximè laudantur. Efflatus aeris, et situs aegro propior quam necesse erit, moraque inutilis in conclavi sunt sedulò vitanda. Abeuntibus salivam expellere screando, mucum emungendo jubetur, quasi contagium salivae et muco adhaerens ad nervos absorbentiaque vasa ventriculi deveheretur morbum inducturus. Hinc patet alia ratio bonorum emetici effectuum contagio sine mora agente. Hoc morbo semel correpti non ab eo fiunt immunes, sed ei minus proclives manere, et forma mitiore iterum recipere, observantur.

D. Jackson auctore, quaedam coeli conditiones existunt in quibus contagium faciliùs potest communicari prae aliis, hoc est, in quibus cito per magnum spatium, e rata parte, propagatur. Contra sunt aliae coeli conditiones quibus tarde vagatur, etiamsi causa polleat vi omni, ubi homo constitutione parum aptâ praeditus

haud posset eam contrahere. Qua haec conditiones sint natura, vere dicere non possumus, sed proclivitatem impressioni contagii, clauso, vel humido, vel nebuloso caelo auctam: vim contagii in corpus aere calido, sicco et puro minutam invenimus. Quum non fuerit penes chemicos indiciis eudiometricis, vel aliis, dotes contagii naturales pro certo detegere, adeo ut ejus virus, disjunctione vel combinatione *chemicà* facta, extinguere possent; opportet nos esse contentos adhibendo modos maximè efficaces, adhuc cognitos, vel obstando vi illius in corpus, vel prohibendo digestionem a dilutione, vel postremo fumigando variis rebus. Recentius fumigatur ope gasium ex nitrico vel muriatico acido, sejungendo partes aut nitratis potassae aut muriatis sodae, per acidum sulphuricum, quod efficitur implendo vascula figulina, calefacta, utroque sale, acidumque sulphuricum infundendo. Vapor nitricus muriatico praestare putatur conclavibus in fumigandis quae adhuc tenent aegri, quum non adeo noceat aut irritet aegrorum pulmones, sed tutò spirari potest,

modò dilutus paullò sit. Potentia acidorum fossilium, in contagium hebetandum ante annum 1750, satis constat, celeberrimo J. PRINGLE erat nota; Doctor JOHNSTONE libello suo anni 1758 publici juris fecit, et GUYTON MORVEAU, ingeniosus Gallus, et CARMICHAEL SMYTH, illustris Anglus, eodem fere tempore modum jam obsolescentem in lucem reduxêre. SMYTHIO certè Senatus Britannicus pro beneficio magno accepto, amplum et honorificum munus referebat, neque facile negârit aliquis eum primum observationem publicam hanc in rem direxisse, aut usum latè longèque diffundisse. Ab experimentis quidem nostri chemiae professoris celeberrimi, ex iisdem rebus componi et acidum nitricum et aera atmosphericum, rationibus tantum diversis partium constituentium satis patet. Oportet forsan meminisse muriates sodae eidem proposito pariter convenire, postquam aegri e conclavi abierunt, praesertim quum non solum vilioris pretii sit, sed comparatu facilior. Explosio acervulorum pulveris nitrati in partibus conclavis diversis, ita ut vapore impleatur; a

plurimis multum laudatur. Doctor LIND, describendo febrem gravissimam qua in nave bellica *Edgar*, multi perierunt; memorat in congressu cum classe Gallica contrà littora Lusitanica, copiam pulveris nitrati ex nave *Edgar* emissam viginti quinque dolia excessisse, et praefectis mirum paruisse nullos nautarum postea febre corripi, quod ut ille dicit, haud raro accidit.

Quidam strenuè jubent conclave impleri gase oxygenii ex oxido manganesii nigro extricato per acidum sulphuricum ut maximum praesidium contra contagium. Fumigationem pice liquida in vase calente ab aliis auctoribus laudatur, vase autem moto diversis in partibus, ut diffusio vaporis universa fiat per omnes partes. Idem probatur Doctore LIND, quum dicit contagium in *Revenge* nave bellica multum imminutum fuisse fumigando vapore piceo. Fumi aceti camphorati dum ferveat est princeps auxilium ad extinguendos vel superandos odores foetidos cubiculis immundis.

Quod ad effluvia contagiosa diluenda, Doctor

Haygarth affirmat aerem miasmate onustum spirari posse aliquandui minimo periculo; aeremque parcius inquinatum, per longum tempus pauxillo vel nullo periculo hauriri. Quinetiam dicit illum adeo dilui posse ut vix habeat quidquam periculi: unde videtur quantum ad cumulationem inhibendum, et dilutionem aeris noxii efficiendam, valent munditles et aeris puri circuitus liber in aegri cubiculo utraque remedia prophylactica optima progressu contagionis. Quam ob rem ostia et fenestrae cubiculi semper aperta sunt servanda, et quum vis corpori insit perpetuò novum contagium generandi, idemque perspiratione et respiratione ejiciendi, oportet vela lecti semper revoluta haberi ut admittatur circuitus aeris purioris et frigidioris ad materiam respiratam noxiam diluendam; utque materia perspirata in linteis vel indusio coacta amoveatur, quotidie haec mutanda sunt; e superficie exhalantium in intestina latâ, conditio fellis morbidè aeris, faeces putridae, fons densatissimi contagii semper fiunt, ideoque quam primùm sunt amovenda, ut etiam urina.

Contagium modis duobus et diversis communicari videtur. Alter ex effluviis aegri, vel aere haud procul eo, miasmate contagioso maximè impleto inhalatis, oritur : alter e contagio cujusdam materiae propè vel contactu aegrorum, quae luem contraxit et retinet, accepto. Tales materiae fomites vocantur, et secundum CARMICHAEL SMYTH, morbum magis virulentum quam cum e materia perspiratâ aut respiratâ aegri contrahitur, reddere videntur. Hanc observationem summâ aliâ auctoritate confirmatam invenio. Doctor HAYAGRTH sagaciter innuit, dubitari posse an malum e contagio carcerum in forum juridicum inductum, sit rêverâ malignitati veneni febrilis auctae longâ ex morâ vestibus immundis et aere concluso, statu nimirum *fomites* dicto, tribuendum.

Tristis casus sequuturus ab illust. JOANNE PRINGLE memoratus, in quantam vehementiam effluvia contagiosa forma fomitum veniri possunt, docebit.

Quaedam vetera tentoria in eandem navem cum militibus imposita, ab his pro lectis usur-

pata erant. Ut reficerentur opifici cuidam Gandae, urbis Belgii, tradita sunt, qui ex viginti tribus hominibus, fabris suis eo occupatis, septendecim morbo amisit, quamvis nulla communicatio intercesserat inter eos et priùs affectos.

Doctor LIND ex eadem sententia dicit, "Persuasum est mihi corpus aegri servatum nitidum et mundum non tam proclive esse ad labem communicandam, quam vestes recens exutae, immunda lintea, sordesque hujusmodi juxta eum diu servatae in statu adeo squalido. Dico haec continere certiùs et magis congestum et contagiosum venenum, quam effluvia ex aegris recenter emissa." Memorat quoque eos in efferendis aegris occupatos, multo frequentius in eorum vestimentis infectis auferendis et vinciendis morbo corripi et formâ graviore. Nutrices contrà quae vestes prope amplum focum iis detraxissent, eosque in lectum mundum linteaque impositos curassent contagioni minus obnoxias esse, et contactis, morbum multo mitiorem esse.

Statu fomitum, satis constat, contagium per plurimos annos, in aere concluso, foetido, malè

ventilato, vestibus lanulis, gossipinis vel linteis quas aegri induisent adhaesurum, ut et lectorum fulcris, cubiculi trabibus et parietibus. Hinc patet ablutionem et ventilationem non solum omnis rei ab aegris occupatae, sed etiam parietum (ut lacte calcis) omnino salutares esse ad conclave saluti innocuum reddendum. Linteum impurum febricitantium vel quales panni eorum ablui patiuntur, imprimis non in aquam calidam sunt imponendi, quod periculosum esset excipienti fumos exinde qui possent oriri. Igitur primo erit necesse eos in aquam frigidam madefacere, vel in saponis spumas frigidas aliquot horas ut sordes eluantur.

CAUSAE EXCITANTES.

In longè maximo exemplorum numero, hujus morbi causae excitantes exoriuntur e materia contagiosâ corpore alicujus eo laborantis genita, et aut perspiratione, aut respiratione, aut secretione editâ. Excipit sanus homo inspira-

tione, et absorptione per vasa in corporis superficiem patentia; vel cum saliva mixtam, et directè ad nervos ventriculi delatam. Quidam rectà ad cerebrum ferre posse per nervos olfactûs putant: per fomites certè, ut antea dictum communicari potest.

Morbus e casibus aliquibus nonnunquam excitari primò videtur, ut ex hominibus per longum tempus in loco angusto, humido, malè ventilato inclusis, quo aer non solum fit calidus, acris, spiritui non habilis, sed contagiosus quoque ut videtur, ut tristi clade captivorum in carcere Calcuttae satis patet, quorum centum viginti et septem, viginti septem soli superfuerunt, et illi statim Typho correpti sunt sine ulla causa praeter inspirationem aeris foetidi noxiique qui prioribus lethalis evaserat.

Doctor Jackson quoque memorat quosdam casus quibus morbus in navibus onerariis militem transportantibus se ostendisset, e statu nimis arcto solùm militum, nam naves erant salubres, milites omnes sani, navigatio paucorum tantùm dierum, ad summum quinque; pars ta-

men tertia plerumque aegrotabat. Quod talia ut causae excitantes aliquandò agant, observatur a professore celeberrimo nostro in Conspectu suo, sect. LIX.

" Dum spirat homo, lethale sibi aliisque spi-
" rantibus venenum fundit, neque solus pulmo-
" nis halitus adeo nocet, manat et ab omni cu-
" tis foramine materia subtilissima, venenata,
" fortasse putrescens, quae diu collecta, neque
" per auras diffusa, et corpori denuo admota,
" aut iterum in id ipsum recepta, gravissimis
" morbis inficit, nec sistit gradum sed veluti vi-
" res per pabulum nacta, longè lateque per po-
" pulos grassatur."

Aliae vero causae huic morbo ortum praebuisse dicuntur, qualia sunt cadaverum diù inhumatorum effluvia ; immundis et malè ventilatis valetudinariis ulcera foeda exorta ; putrefactio denique, cujusvis materiae animalis ; quorum omnia aliquandò vim febrem excitandi possidere credebantur, licet hoc experientia subsecutâ non probatur.

CAUSA PROXIMA.

Inspicienti auctorum diversorum opera de febris causa proxima, nihil mihi aequè videtur varia signa morbi occurrentia in stadiis paroxysmi diversis explicare ac theoria illustris Culleni. Et quum ab aliis medicis certior factus sim, eam non tantum esse qua febrium phaenomena hac in Alma Academia explicantur, sed quoque per medicinae praelectores in Academiis Cantabrigiensi et Eblanensi, et primis metropoleos scholis medicis; sat habebo hanc partem implere dissertationis theoriâ Culleni ipsius, nec supra modum hoc parvulum tentamen augebo, cujusque signi in stadiis diversis visi, rationem reddendo.

Causae remotae sunt quaedam vires sedantes generi nervoso admotae, quae vim ipsius cerebri minuendo, omnibus functionibus debilitatem inducunt, et imprimis illi vasculorum minimorum. A naturâ tamen adeo constituitur oeconomia animalis, ut debilitas ista compagi san-

guiferae indirectus (ut dicitur) stimulus evadet, unde intercessu stadii frigidi, et spasmis ei connexis, pulsus cordis et arteriarum majorum auctus est. Ita perstat donec effectum adepta sit vim cerebri restituendi, aut eandem vim communicando vasculis extremis, adeoque actionem restituat naturalem, et spasmum ea afficientem sublevet; quo remoto, sudoris excretio, aliaque vasorum excretoriorum jam laxatorum signa superveniunt.

HISTORIA MORBI.

Inter quosdam scriptores nuper celebriores hujusque rei peritissimos, an causa excitans, (contagio,) morbum unquam induxerit, statim post corpori admota esset, disputatur. Alii enim contendunt eam admotam corpori sine mora noxam suam exercere et morbum inducere; alii contra affirmant in corpore semper aliquamdiu latere, et temporibus incertis erumpere prout moveatur causis excitantibus; eamque saepe plurimas hebdomadas latuisse; quod spatium in-

ter contagium adhibitum et morbi initium tempus *latens* vel *celatum* appellatur. Quamvis et in proprio corpore, et in aliis, fuerit occasio mihi videndi exempla non dubiosa ubi contagio valdè condensa morbum induxerat ferè simul ac applicata ; tempus tamen plerumque longius breviusve est, ejusque vis ad agendum provocata in causam quandam fortuito excitantem, ut frigus vel humiditatem, moerorem, defatigationem, vel causam aliquam debilitantem, referri potest. Morbus fit violentior cum sine tempore latente invasit, sin minus, contrà. Post tempus latens mitiore forma licet morbus videatur progressus, saepe tamen, nulla causa obvia, in aspectum violentissimum et immitissimum transit, lethalis evasurus. Tempore latente praeterito, Typhus obrepit sensu torporis et inertiae hominem adoriente, cui vix manent vires ad propria munera exercenda, neque tamen adeo invalidus fit ut intrà fores se contineat. Hunc statum novi aegros degere unam et alteram septimanam, morbo interim speciem intermittentis insidiosam induente. Quum ambulando aeger

valeat, manè sibi videbitur malum superasse; at post meridiem more solito cum vehementia revertitur, impetum suum facturum, accessu frigido, horrore, dolore lumborum et capitis, nausea, magna virium prostratione, et pyrexia, tanquam minore saevitie quam pyrexia aliis e morbis. Lingua fit sicca et arida, saepe tunicam nigro-furfuraceam induta ad crisin usque mansuram. Aeger raro multam sitim quaeritur utut siccum appareat os; urina plerumque parum mutatur, nisi in colorem limpidum; intestina in morbo mitiore vix afficiuntur, nisi faeces putridae aequo diutiùs detentae fuerint, quum diarrhoeâ molestissimâ hominem infestant. Aeger noctu jacet insomnis, aut si ullus, semper turbatus est somnus, a delirio comitatus cum expergiscatur. Surditas plerumque circa diem undecimum invadit, indicium faustum plerumque habenda; sensim quidem abit post crisin, ut vires aegro redeunt.

Hoc modo plerumque, si morbus non sistatur ad initium, aegri degunt dies quatordecim, quod tempus circiter, sordes laxari et excidere ab ore

incipiunt, humorque eo oritur e secretione salivae redeunte ut sordes excidunt. Somnus reficit, lenis humiditas in cute perspicitur, et aeger cibum jam poscit, tanto plerumque desiderio, ut opus sit tempestates et copiam cibi praescribere, ne oneret ventriculum cibo malè concoquendo, quod plurimis exemplis morbus reduxit. Quamvis haec symptomata sunt plerumque in specie mitiore visa, attamen ex eodem contagio, eâdemque domo morbus symptomata gravissima indutus saepe exorietur, pestem magis referens quam morbum propositum : cum magna virium prostratione, in primo impetu, delirio feroce, impetu sanguinis abnormi in quasdam partes, praesertim caput versus, ventriculum aut hepar; subsultu tendinum, singultus, etc. Si haec paucis in diebus non lethalia evadant, accedunt conditio humorum putrida, (ut e petechiis, vibicibus, gangraena partium aliquot, spiritu olido, alvo foetida, urina nigra, putrescente ; odoreque cadaveroso totius corporis denique satis patet;) omnium sphincterum relaxatio e dejectionibus invitis, urina, lachrymis, etc. manifesta : quorum posteriora citam mortem semper praecedunt.

PROGNOSIS.

Prognosin faustam vel sinistram hujus morbi prolaturum, semper oportet in memoria tenere et valetudinem et vires corporis ante impetum, quem homo validus, robustus, et sanus, multò faciliùs superabit quam ille a priore morbo, vel tenui et parca diaeta, vel causa quâvis infirmante debilitatus. Contagio enim hujus causa excitans, viribus sedantibus et debilitantibus in corpus magnopere agit.

Indicia Typho eventum faustum portendentia subsequuntur. Vires non multum imminutae in primo insultu, renixus totius corporis nullus vehemens, nullus sanguinis in aliquam partem incursus, ut caput ventriculus, etc. delirium mite, somnus per noctem qui reficit, lingua humida nitida, pulsus modico vini usu et stimulantium auctus, cum imminutione tremoris et aliorum symptomatum nervosorum, surditas in longè protractis.

Typhus in glandularum parotidarum, axilla-

rium aut inguinalium inflammationem desinit, quae cum ad bonam suppurationem perventa, prognosis erit fausta; contrà, ut nobis videtur, in periculo versatur aeger quum magna prostratio virium, impetus abnormes ad quoddam viscus, delirium maximum, pervigilium, floccilegium, os nigrum et sordidum, pulsus frequens debilis, subsultus tendinum, singultus, oculi multum inflammati, loquela velox, vocis sonus valdè mutatus, accedunt. Cum aeger jacet resupinus et flectit genua, et gradatim e lecto delabitur malum denotat, ut et spiritus putridus simul cum petechiis, vibicibus, et maculis gangraenosis, dejectiones foetidae, urina nigra et putrida, odor cadaverosus totius corporis, omnia quorum sunt indicia status putridi humorum. Immissio et faecum et urinae invita, facultas devorandi aut linguam extrudendi laesa, denotant debilitatem maximam musculis genioglossis et pharyngeis. Sudores frigidi et tenaces, cum frigore artuum extremorum, caecitas partialis, perpetua inquietudo, et ad sycopen proclivitas e motu, semper fiunt praenuncii mortis instantis.

RATIO MEDENDI.

Curatio morborum nunquam erit benè perficienda, nisi causae proximae sint probè intellectae, quatenus saltem harum scientia adhuc imperfecta sinet. Physiologi atque pathologi dicunt causam Typhi proximam esse quandam mutationem morbidam qua presente fit morbus, qua ablatà aufertur morbus, quâ mutata, mutatur morbus. Haec mutationem morbificam superiùs memoravi stricturam esse spasmodicam vasorum minimorum, ad cujus formationem permanentem prohibendam, emetica, praesertim antimonii quam primum exhibita optimum affectum praebere videntur; vim enim habent dirigendi latices corporis ad superficiem, diluentibus calidis identidem liberè sumptis, ut sorbilibus, etc. Post vomitum cessatum, decubitum juxta, bolus ex opio, camphora, pulvereque antimoniali compositus, est devorandus, cujus effectus potus vini Andalusiani et aquae, intervallis reiteratis, ne nausea obrepat, multum juvabit.

Haec remedia morbo tempestivi adhibita morbo plus semel occurrere vidi. Mos medicis plerumque est, post spasmum febrilem conceptum symptomata solùm mulcere et levare, quippe qui credunt morbum suum cursum confecturum. Sed aliud remedium et valentissimum a celeberrimo CURRIE in usum productum est, quod prudenter admotum, saepe vel obstabit, vel saltem decurtabit aut levabit severitatem horum symptomatum, licet morbus duos vel etiam tres dies manserit.

Remedium quod loquor, affusio est aquae frigidae, cum calor cutis modum solitum excedat; res ferè semper observanda ad exacerbationem vespertinam. Sed tutò et commodè ullo tempore admoveri poterit, quo augmentum caloris sit et cutis arida. Methodus admovendi aquam, optima, et quae semper erit in promptu, est affundere aquam e situla per cribrum, colum, vel cistam e viminibus textam in caput aegri. Effectus hujus remedii potius videtur antispasmodicus, quam refrigerans calorem liberum ablaturus; vim enim ostendit plerumque amoliendi strictu-

iam spasticam superficia, ab humiditate leni ei inducta, desquamatione pelliculae sordidae oris, totâque concatenatione morbosa disruptâ, satis manifestam. Delirium, symptoma pertinax, aliquando ei cedit et aegri magis sui compotes atque exhilarati eveniunt. Si modi jam descripti difficiles adhibitu sint, vel parùm proficerint: manet solùm (cum huic malo nullum remedium sit specificum) levare actiones morbosas in corpus, tam lethales aliàs ejus viribus vitalibus futuras, donec morbus ad crisin pervenerit. Hoc plerumque accidit circiter decimum quartum, decimum septimum vel vigesimam primum, sed ipse saepiùs vidi agitationem morbosam die decimo et quarto cessare.

Ratio medendi a Doctor CULLENO praescripta tres indicationes complecitur; 1. Renixus violentiam moderare; 2. Amovere causam, vel obstare effectui debilitatis; 3. Prohibere vel corrigere proclivitatem humorum in putrescentiam. De singulis indicationibus pauca refere volui, experientiae pleraque propriae proventus.

Quod ad primam indicationem pertinet, afflu-

sio frigida, usus refrigerantium, praesertim purgantium salinorum, e quibus (quorum optimum phosp. sodae) adhibenda sunt. His factis, omne consilium renixûs violentiam minuenda hoc in morbo implebitur.

De proprietate et utilitate purgantium sub hac indicatione certiores loquimur quia accidit nobis Typhum videre epidemicum cujus diarrhoea spontanea totum cursum comitabatur, quoque in aegro; nec ullo in exemplo erat renixus, si ullus, violens aut auctus, nec calor supra modum auctus, neque multum delirium nisi cum expergefacti essent. Paullò commotiores atque confusi sunt visi, quanquam sensorium contagio valdè affectum est. Aegri per totum morbum fatui perstabant, attamen de nullo capitis dolore, nisi levissima vertigine questi sunt. Magna erat prostratio virium, pulsus celer, furfuracea, appetitus amissus, diem undecimum versus surditas, faustaque solutio apud quartum decimum. Hinc natura indicat violentem renixum corporis, et symptoma maxime lethale, nimirum cerebri inflammationem, suppurationem

et gangraenam, ut et ventriculi et pylori, mutationes e resectione mortuorum evidenter frequentissimas, a vicaria diarrhoea averti posse.

Quod attinet vim renixus minuendam, missio sanguinis generalis prout ipse vidi, nunquam necessaria vel sine magno perculo admittenda est, et paucis in exemplis ubi adhibitam audivi, natura morbi prorsùs incognita semper lethalis evasit. Post crisin omnis exempli aeger adeo debilis est factus, ut verisimillimè fuit venaesectionem vel lethalem evasuram vel talem debilitatem extremam inducturam esse qualis convalescentiam longam et dubiam redidisset.

Affectiones locales amovere, ut impetum versùs caput horum periculosissimam, abrasio capillitii, emplastrum epispasticum amplum, hirudines, haustus salini, plurimùm valent. In affectu ventriculi, hepatis, etc. locali, eadem ratio medendi adhibenda est, tantùm sanguis e partibus vicinis cucurbitulo detrahatur.

Distinguere inter inflammationem ventriculi idiopathicam, eamque ab acridis ut bili aliisve secretionibus in ventriculum et intestina effusis,

magna cautela est adhibenda. Mihi persuasum est ventriculi inflammationem plerisque in exemplis speciei erythematicae esse, quippe quia tam saepe portiones pyloricae ventriculi et dudeni, e gangraena orta ubi nulla fuerat inflammationis suspicio, descendunt. Hinc effectus salutaris quotidiè purgandi vias primas. Hoc docetur citatione subsecuta. Doctor STEVENS linguae suae admovere aliquantulum materiae nigrae, paullò ante mortem a duobus aegris ejectae, ausus erat, et utroque casu lingua inflammata in vesiculas erumpebat. Qualem eventum quod materia tam acris in ventriculo etiam sanisismi morata ediderit; nimis obvium est, ut hic dicendus opus esset.

Hicce morbus nunquam (ut phlegmasia a frigore) in sudore profuso desinit. Secutis leniter humectetur, secunda hebdomada, cum desquamatione levi e margine linguae cum leni humore, signum certum est naturam crisin moliri, eique in effectibus salutiferis esse succurrendum conveniente stimulo. Vinum Andalusianum, ut ad superficiem propellens valde idoneum vi-

detur. Quod ad sistendum et corrigendum statum putridum humorum, haec apud initium fiet immiscendo potui aegri quotidiano, aliquod acidum vegetabile, ut succum aurantii, acidum tartaricum, acetum et similia; admovendo fermentum (spuma cerevisiae) ex aqua, cochleare saepiùs indie, cura interim adhibita ut materia acrida vel putrida e ventriculo vel intestinis purgetur, indusium etiam et lodices in dies mutentur, et denique ut aer refrigerans quotidiè suppetat. Perfusio aceti in corpus forsan proderit.

Indicatio tertia in prioribus ferè amplectitur nam administratio cinchonae, aliorumque stimulantium vegetabilium et tonicorum, in desuetudinem inter peritos medicos decidit et vino, auxilio multo certiori et valentiori cessit, praesertim Andalusiae, quod meliùs ad superficiem promovet, et temporibus non raris statutis adhiberi debet, cum aegri pervigilio defatigati et debilitati perpetuò delirare videntur. Opium larga dosi cum camphora soporem efficientem magnumque levamen et refectionem inducere vidi. Ubi non constabit an delirium et pervi-

gilium e levi cerebri inflammatione pendeant, multo tutiùs erit caput radere, et amplum epispasticum applicare priùs potio somnifera sumatur. Ubi ingens delirium adest simul cum multa debilitate caput radi, eique epispasticum imponi apprimè necesse est; hisque ritè tentatis, vinum virium hominis tutamen tutiùs et liberiùs sumatur. Quum febris crisin pervenerit, decoctio cinchonae cum idonea copia ejusdem tincturae modice acidulata, faciat tonicum satis aptum viribus ventriculi totiusque fabricae reficiendis. Quibus cinchona malè conveniat infusio radicis colombae sufficiatur.

FINIS.

gibus a levi quidem inflammatione provenit, multis [illegible] seu capite rubens, et magnum [illegible] [illegible] prius pedes [illegible] tur. [illegible] in [illegible] caput [illegible]. Aqua [illegible] [illegible] ad [illegible] [illegible] venam [illegible] [illegible] [illegible] vomitur. Quum febris [illegible] decoctio cinchonae cum idonea copia [illegible] tincturae modice acidulatae, [illegible] spiritus vitriolici ventriculi [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

FINIS.